

STAPHYLIS.
et Tomus.
p. 1.



Nf. 27.

21. 21.

D. T. O. M. A.

Explicatio

CAPITIS QVARTI

EPISTOLÆ AD ROMANOS,

in quo agitur

DE

JUSTIFICATIONE

HOMINIS CORAM

DEO,

Quam

Anniversariæ Disputationis Loco

ROSTOCHII

Anno M. DC. XXVIII. d. 21. Junii horis matutinis,

In Auditorio Magno

solenni examini obtulit

JOHANNES TARNOVIVS,

& jam

luci publicæ, ob exemplarium defectum,

argumentiqve præstantiam,

Studiosæ juventutis bono,

reddidit

M. GEORGIUS HENR. GOETZIUS,

Lips. SS. Theol. Baccal. & Burgenfium

ad B. Virg. designatus Pastor Primarius.

WITTEBERGÆ,

Apud CHRISTIANUM SCHRÖDTERUM, Acad. Typ.

Anno Ch. clc lcc XG.

No 2

all 20

Dr. M. Schäfero



VIRUM

*Præ-Nobilissimum, Magnificum, atque
Excellentissimum,*

DN. FRIDERICUM Hondorff/

JureConsultum Celeberrimum,
Potentissimi Electoris Brandenburgici
in Ducatu Magdeburgensi Consiliarium eminentissi-
mum, & Salisgravium Hallensem spectatissi-
mum, dexterrimumque,

*Dominum, Patronum, ac Studiorum Pro-
motorem, summo honoris cultu, atque obsequio,
prosequendum,*

Inscriptione eruditæ hujus Dissertationis

Theologicæ, à B.D. Joh. Tarnovio olim ador-

natae, & nunc typis iterùm exscriptæ,

veneratur, ac

devotè usque ad cineres

colit

ob egregia beneficia plus simplici vice

in se collata devinctissimus

cultor


M. Georgius Henricus Goetzius.

Quanquam Abraham nescit nos, *Abrahami*
 & Israel non agnoscit nos, Esa. 63, 16. tamen *imitemur.*
 nos utrumque hunc, quippe cujus filii fide
 sumus, Gal. 3, 7. 29. & 4, 28. Rom. 9, 7. 8. velut spiritua-
 lem quendam patrem in terris ignorare non de-
 bemus, sed fideliter utriusque vestigiis, in primis
 verò Abrahami, quod monet Paulus Rom. 4, 12. in-
 sistere, in fide, caritate, spe, patientiâ, ut ita ex Ur
 atque igni destinato ac asservato hoc mundo 2. Pet.
 3, 7. in terram Canaan à Christo emtam, hoc est,
 ejus antitypum cœlum, Hebr. 3. & 4. capp. introdu-
 camur, per eundem fidei nostræ ducem atque con-
 summatores Jesum, Hebr. 12, 2. quod futurum uti-
 que est, si Deus, ut olim in Abrahamo, ita in nobis
 quoque cor fidele invenerit. Nehem. 9, 8. Quum
 igitur hæc doctrina hoc tempore malo sit maximè
 necessaria, & à Paulo in quarto capite epistolæ ad
 Romanos ex professo tractetur, placet illud jam
 paucis illustratum publico & placido *συνθεολο-*
γῶντων examini subicere, idque ut fiat cum fructu,
 faciat is, cujus donum est fides. Ita autem progre-
 diemur, ut post summam & analysin hujus capituli
 singulorum versuum explicationem & usum bre-
 viter monstremus.



THESIS I.

Argumen-
tum.



SUMMA & argumentum hujus Capitis quarti est. Postquam Apostolus per ἄρον & ἴσον de Justificatione hominis coram Deo egerat, hominemq; non operibus legis naturæ cap. 1. neque operibus legis moralis cap. 2. (quum nemo huic satisfaciatur, sed omnes multis modis eam violent) sed per Dei gratiam Christi; meritum ex parte DEI, & fidem ex parte hominum justificari cap. 3. demonstraverat, quod antea dixit cap. 3 v. 21. hanc justitiam DEI esse manifestatam & comprobatam à lege & Prophetis, probat idipsum nunc porrò ex Mose, Abrahæ exemplo, & scripturæ dicto, & ex Davide verbis emphaticis, aliisque ex utroque loco & re ipsa productis argumentis, non aliter ullum, licet coram mundo sanctissimi num, justificari, quàm gratis per imputationem, justitiæ Christi, adeo ut in hac declarandâ decies vocem imputationis repetat. Deinde qualis & quàm firma fides Abrahæ fuerit, explicat, & eandem omnibus credentibus applicat.

II.

Analys.

1.

2.

Caput hoc quidam dividunt in duas partes, quarum in priore, hominem fide justificari exemplo & rationibus, evincitur usque ad v. 18. in posteriore fides Abrahæ describitur. Alii partes duas constituunt, sed alias à prioribus faciunt; nimirum ajunt hic duo esse, ἀρνικόν, justitiam, quæ coram Deo valet, non ex operibus legis obtinere, versibus prioribus quindecim: & ἴσικόν, sed ex fide à v. 16. rationem consequentiæ utrobique dant à scripturarum

(4.)

rum usu v. 23. 24. Sunt qui tres partes capitis faciunt, quarum I. sit propositio v. 1. II. confirmatio facta novem argumentis ordine propositis v. 2. & seqq. III. Conclusio v. 22. Nec desunt, qui sex partes capitis esse putant, ita tamen ut in re & subjecta materia non multum pleriq; discrepent, sed saltem in rei considerata modo.

3.

4.

III.

Nobis placet illis adstipulari, qui partes hujus capitis tres sequentes esse ajunt I. Αποδεικτικῶς, quæ id, quod in fine capitis tertii assertum est de justitia fidei, quatuor primariis argumentis demonstrat, usque ad v. 16. II. Επιστηρικῶς, quæ fidem Abrahamæ valde commendat, ab ultimo colo v. 16. III. Δογματικῶς, quæ ex prioribus, qualis omnium credentium fides esse debeat, perspicuè declarat vers. 23. 24. 25. De singulis postea in singulis versibus uberius.

5.

IV.

PARS PRIMA.

Vers. 1.) Durum Judæis, qui tempore Apostoli opera legis urgebant nimium, videri poterat, quod scripserat Apostolus cap 3, 23. Omnes peccaverunt, & destituuntur gloriâ Dei, suisq; viribus nil quicquam ad gratiam & gloriam Dei pervenire possunt, & v. 27. exclusam esse omnem gloriationem per legem & doctrinam fidei, & putabant, etsi verum id esset de magnis peccatoribus, tamen de sanctis Dei viris non esse asserendum.

Objeçtio.

V.

Huic tacitæ eorum objectioni occurrit Paulus in hoc capite, & eos, quos maximè in ore habebant Judæi, Abrahamum ac Davidem ex omnibus sanctis eligit, & de iis

Resp.

A 3

idem



idem suum, seu veriùs Spiritus S. effatum, superiori ca-
pite positum, valere probat. I. per interrogationem cum
apostopefi v. 1. II. per correctionem v. 2. *Quid igitur di-
cemus?* per *νοινοποιναν* Apostolo familiarem se quoq; reli-
quis annumerat, quum sit sensus, si scopum intueamur,
horum verborum, quid vos, qui Justitiam operum legis
urgetis, & justitiam fidei negligitis, contra hactenus al-
lata, exq; sacris literis firmata afferetis? dicetisne, quod

*Caro i. e. o-
pera legis.*

vobis solenne est, *Abrahamum patrem illum nostrum*
nactum vel adeptum esse aliquid *secundum carnem*, seu
opera legis, quæ h. l. vocat carnem, quemadmodum
legis mandatum appellatur carnale Hebr. 7, 16. eò quod
quidem lex opera exigat velut litera, sed vim atq; spiri-
tum ea præstandi non largiatur. Confer ea quæ superius
dicta ab Apostolo cap. 3, 27. & 2. Cor. 3, 5. 6. idemq; est,
quod ad sensum, secundum debitum operum. Videatur
v. 2. & 4. hujus cap.

*Abraham
nil invenit*

VI.
Interrogatio autem hæc negativam responsionem
innuit istam, nihil quicquam veræ gloriæ & gratiæ ita
pater noster Abraham apud Deum invenit, ideoq; si il-
lud quod prius dixi, omnes coram tribunali Dei in se
consideratos esse peccatores, justificari autem gratis, si
credant in Christum, adeo verum est, ut in sanctissimis
illis viris locum habet, inde de aliis minùs perfectis quid
sit statuendum, facile potestis conjecturam capere. Ita
hæc exempla doctrinam de justitia fidei maximè illu-
strant, & quia, vires liberi arbitrii quod attinet, vel
meritum operum, sunt paria, etiam confirmant.

*Secundum
carnem.*

VII
Appendix illa, *secundum carnem*, à quibusdam
ad



ad subjectum, patrem illum nostrum secundum carnem seu carnalem, ab aliis ad prædicatum, & rectius referatur, invenisse secundum carnem. Verum propterea non est ullo modo asserendum, quod sit ambigüe POSITA illa limitatio. Si enim ambiguitas est in sacris literis ipsis, Spiritus S. esset λογος, & fides nostra infirma, siquidem fides nititur verbo. Contrâ autem quod est nostræ cœcitatibus, non est tribuendum illi fulgenti in tenebris lychno. Invenire etiam stylo scripturæ quis ea dicitur, quæ consequitur, tam ex gratiâ, quàm merito.

VIII.

Usus.

I. Docet nos suo exemplo Paulus, ita esse à ministris verbi de articulis fidei instruendos auditores, ut in firmioribus sua lenitate succurrant, rudioribus doctrinâ suâ subveniant, & omnibus omnia fiant, ut illi sciant etiam, quæ sit ἀντίθεσις in genere, & quid fugiendum. II. Abraham est pater Judæorum secundum carnem, secundum spiritum & fidem omnium credentium ibi ratione generationis, hîc ratione imitationis. III. Qui eo modo, quem Deus præscripsit, quærit, invenit Matth. 7, 7. qui alio à se excogitato modo spiritualia bona venatur, spe sua frustratur Luc. 13, 24. IV. Quia de Abrahamo renato & justificato Apostolus loquitur, etiam aliorum renatorum & justificatorum operibus detrahitur virtus merendi & gloria coram Deo, quod contra Pontificios est notandum, eorumq; de secunda justificatione & merito condigni figmentum.

Auditores
instruendi.

Quomodo
querendum.

Justificatus nil
meretur.

IX.

Verf. 2.) Propositio Apostoli fuit, quæ, si eam nobis
usita-



1. Argum.

Abraham
non potest
gloriarī,

coram Deo.

usitatoribus verbis explices, est hæc: Abraham non est o-
 peribus justificatus coram DEO: sequitur confirmatio,
 & primum quidem argumentum ponitur hoc versu, &
 procedit à remotione consequentis ad destructionem
 antecedentis, vel à negatione effectus ad negationem cau-
 sæ hoc pacto: Si Abraham ex operibus seu secundum car-
 nem (ut habebant verba Apostoli in propositione) est
 justificatus, potest gloriari coram Deo. Sed Abraham
 non potest gloriari coram DEO. Ergo ex operibus
 non est justificatus. Nam si Abraham ex operibus ju-
 stificatus fuit, quod Judæi & justitiani solent dicere,
 qui gloriantur in Abrahamo, Matth. 3, 9. Johan. 8, 39.
 habet ille, quod gloriatur, quia ex suis viribus & ex de-
 bito justitiam est consecutus. Lex enim requirit, ut
 homo suis viribus se totam perfectissimè impleat, & hoc
 si fiat, promittit justitiam & vitam: quæ tamen potius
 κατὰ δόξαν Judæorum, quàm ipsam ἀλήθειαν sunt acce-
 ptanda, quum etiam neque implenti legem Deus propriè
 loquendo quicquam debeat, Rom. 11, 35. Sed non habet
 Abraham, quod gloriatur apud Deum, quia is omnimo-
 dam cordis sinceritatem totius vitæ tempore exigit, per-
 fectissimam justitiam juxta legem requirit, & omnia,
 quæ habet & valet homo, ipsi dedit. Et proinde etiam
 Abraham, quum totius vitæ suæ tempore non ambula-
 vit coram Deo sincerè, neque perfectissimè legi satisfecit,
 imò omnia, quæ fecit, virtute Dei fecit, gloriari nil quic-
 quam coram Deo potest, 1. Corinth. 4, 7. Rom. 3, 27. licet
 habeat coram hominibus, qui qualicumque justitia vel et-
 iam externè simulatâ sunt contenti, & respectu aliorum
 malorum, quod gloriatur, ideoque per consequens ex suis
 operibus coram Deo non est justificatus. Ita malim hunc
 locum



locum cum plerisque interpretibus explicare, quàm de
laude justitiæ, quam verè habuerit Abraham apud homi-
nes, exponere, siquidem de hac justificatione secundâ seu
declaratione justificationis hîc non agitur.

X.

Ufus.

I. Si Abraham suis operibus bonis, quæ fuere multa & *Abraham*
splendida, non est justificatus, nemo iis justificabitur: & si *non est justi-*
idem ob ea coram Deo non potuit gloriari, nemo apud *ficatus ex o-*
Deum jure gloriabitur de suis, Jer. 9, 33. I. Cor. 1, 31. & si ne- *peribus*
mo potest gloriari, nemo purorum hominum legi satisfac-
cit, multò minùs opera supererogationis præstitit. II.
Neque valet quicquam in contrarium illa Bellarmini lib. I. *fidem se-*
de justif. cap. 19. allata exceptio: Abrahamum non fuisse *quentibus,*
justificatum per opera præcedentia fidem, sed per opera
fidem sequentia, quemadmodum ex iis, quæ suprà sub
finem thes. 8. dicta sunt, liquet, & omnia opera absolutè
excluduntur, nostrumque non est, ubi scriptura non exci-
pit, excipere; idq; probari etiam potest ex sequenti versu,
ubi quod citatur, ex cap. 15. Genes. desumptum est, & pro-
pterea non modò illa, quæ ex fide Abraham præstitisse,
legitur cap. 12. 13. 14. post sui conversionem ac justificatio-
nem, opera excluduntur, sed etiam hæc, quæ ibidem mul-
tò post effecisse legitur.

XI.

Vers. 3.) Idem, quod Abraham non fuerit justifi-
catus ex operibus, ex natura contrariorum sic evincit: Qui
est fide justificatus, non est justificatus ex operibus, quia
in actu justificationis hæc se mutuò excludunt, sup. c. 3, 27.
Sed Abraham est fide justificatus juxta scripturæ sacræ ef-

B

Abrahã fide
fatum *est justificat9*

fatum verissimum, Gen. 15, 6. Ergo non ex operibus. *Quid enim scriptura dicit?* Vos Judæi quidem varia dicitis, sed dicitis tantum, non evincitis : Audiamus eam, quæ mentiri nequit, scripturam, quid illa hac de re sentit? Non utique vestram erroneam sententiam suo calculo approbat, sed meam Apostoli conclusionem firmat, quando asseverat: *Credidit autem Abraham Deo fiducialiter, & hoc imputatum est ei ad justitiam*, nempe tō credere, correlativè intellectum, ut vulgò loquimur, id est, non per se ille actus, (ita enim est opus debitum & imperfectum quid) sed quatenus Christum apprehendit : Et hoc pacto fides ipsa dicitur imputari ad justitiam, v. 5. & 9. Illa igitur duo hic declarantur, Abrahami fides, & fidei fructus, & fides non est quidem justitia, sed ut instrumentum eam apprehendit & justificat.

*... mandavit
... id est non
... dicitur
... dicitur*

XII.

*Notatur
Pareus*

Ubi duo obiter annoto : Unum contra Calvinianum Pareum, qui contra omnes interpretes (quos videre mihi contigit) illud ex Genesi urget *אֱמוּנָהּ* imputavit eam scilicet *אֱמוּנָהּ*, quum affixum sit foemininum. V. Verum nil obstat, quum hebraei sæpissimè foemininum pro neutro adhibeant. Vide saltem Psal. 27. vers. 4. & 32. vers. 6. Et licet hæ duæ propositiones possint esse sensu eadem, tamen illa Parei non est in textu, quum nomen *אֱמוּנָהּ* in Genesi non reperiatur, sed verbum *אָמַן*, ideoque non opus erat h. l. receptam versionem corrigere. Alterum, quod notandum duxi, est contra Pontificium & Jesuitam Riberam, qui in cap. 13. Hos. num. 29. scribit. Est hebræorum consuetudo, ut nonnunquam præteritum activum ponant pro passivo. Vidit quidem in Genesi esse activum, in h. l. Pauli passivum : inde suo omniumq;

& Riberam.

*... dicitur
... dicitur
... dicitur*



mniumq; imperitorum more finxit hanc regulam falsissimam, quum, quod ad conciliationem spectat, uno proposito, passiva videlicet, ex altera, activa nempe, per metalepsin in scriptura frequentem sequatur & rectè inferatur. Si enim Deus imputavit Abrahamo credere, quod habet Moses, etiam hoc imputatum est ei, & proinde hoc rectissime Paulus inde infert.

XIII.

Illud etiam tertio neminem turbet, quod est in textu hebræo אֱלֹהִים יְהוָה, & h. l. in textu græco εἰς διχαιοσύνην: quia vertere id rectè licet, vel ad justitiam cum vulgato latino interprete, & Luthero zur Gerechtigkeit / vel pro justitia cum Stephano, vel per appositionem, justitiam, ut alibi sæpè hebraismus ille occurrit, Ero ei in patrem i. e. pater. Vide thes. Gram. Buxt. lib. 2. Pluribus autem brevitatis ergo hîc non conferam textum hebræum cum hac versione græca, quum sensus sit in tuto, & si quid hîc deficio, alii multi interpretes succedant hîc succenturiati. Neque etiam prolixè hic agam de differentia & emphasi phrasium, Credere Deum, Deo, & in Deum, quum alibi id expediverim. Obiter tamen quarto significo, verum non esse, quod in h. l. scribit quidam, à Latinis patribus observari id discrimen, non à Græcis, quum ex Nazianzeno, qui non est minimus vel ultimus inter Græcos patres, contrarium facile potest probari. Id quidem verum est, non ita rigidè, non ita accuratè ab omnibus græcis hoc discrimen servari.

hic διχαιοσύνην.

XIV.

Illud non possum neq; debeo sicco pede præterire, quod Abrahami hæc fides in genere quidem ad omne Dei verbum ratione notitiæ & assensus se retulerit, ei que fuerit

Fides quæ respiciat.



astipulata, sed, quā justificavit, & ratione fiducia, non nisi in semen promissum recubuerit Gal. 3, 16. Neq; illud h. l. ignorandum est, hoc loco dici, Abraham credidisse Deo, non quod antea non crediderit (quum jam tum Deo vocanti jampridem paruerit, reges devicerit &c. non sanè sine fide Hebr. 11, 8.) sed quod antea tantum fidei documentum non ediderit, quantum nunc, ubi contra spem in spem credit, se fore patrem (Vide infra in hoc capite v. 18. & 19.) nec tale fidei suæ testimonium à Deo habuerit. Quod itaq; secundum quid scribitur, simpliciter accipi non debet.

XV.

λογίζεσθαι

λογίζεσθαι seu imputare est medium quiddam inter inhærere, & putari saltem seu videri: Vel imputativa justitia non est inhæsiva, neq; tamen planè & merè putativa, quarum illam propositionem pontificii ut suam propugnant, hanc quasi nostram sententiam falsò impugnant, sed imputativa & verissima, quia fundamentum habet verissimum & firmissimum, ex parte Dei Christi justitiam, ex parte nostra fidem.

XVI.

2. Cor. 5, 21.

Est enim illud Imputare cogitationis seu decreti, sumtâ appellatione ex arte logistica, ubi calculus valorem habet ratione positus in abaco. Et quemadmodum Christus factus est peccator ac maledictum in passione per imputationem nostrorum peccatorum, 2. Cor. 5, 21. Gal. 3, 13. non inhæsivè vel qualitativè (ita enim sanctissimus ille fuisset verè improbus in se, quod blasphemum est cogitare) nec putativè (ita enim nihil passus fuisset) sed imputatis ei nostris peccatis verè non secus ac si essent ipsius (quò respicit in Psalmo 40, 13. & 69, 6.) poenas

Sup. 1. 1. 1. 1.



pœnas eorum meritò luit, & inter improbos sic est reputatus Es. 53, 15. Sic contrà omnis credens (cujus exemplar optimus hîc in patre credentium Abrahamo proponitur non sibi inhærente justitia, (quippe quæ est debita & imperfectissima) neq; putativâ aliquâ vel imaginariâ (hæc enim non consistit in oculis Dei omniscii, qui rem videt ut est, nec justificat illum, qui putat se esse justum, & seipsum suo somnio ita decipit) sed imputatâ justitiâ, hoc est, non imputatis ei peccatis, quæ habet, ac contrâ imputatâ verè justitiâ Christi, quam non nisi fide habet.

XVII.

Bis præterea in N. T. hic locus Geneseos adducitur, Gal. 3, 6. & Jacob. 2, 23. ibi de justificatione ditertè agitur, quæ fit ex fide, & non ex operibus legis, sicut & h. l. hîc de complemento ejus coram hominibus, hoc est de declaratione. Paulus autem utrobique accipit imputare, propriè, Jacobus impropriè pro declarare: Paulus agit de foro poli & divino, Jacobus de foro soli & humano: ille format demonstrationem τῷ δέῳ, hic τῷ ὄντι: Paulus agit de justitia internè consequenda, Jacobus de externè ostendendâ, vide v. 18. Paulus agit cum iis, qui de modo justificationis instruuntur, Jacobo res est cum iis, qui illâ doctrinâ de fide abutuntur: ibi de justificationis actu primo, hîc de secundo agitur: ibi de fide cum Deo agente in justitiam accipiendo, hic de fide cum Deo & proximo agente in operando, & justitiam sibi gratis datam demonstrando: ibi explicatur veræ fidei possessio, hîc professio.

Discrimen
Gal. 3, 6.
Jacob. 2, 23

XVIII.

Prolixiora ex aliis petenda relinquimus, ubi unum addiderimus, Jacobum non tam ipsa verba Mosis citare,



quàm complementum ultimum coram hominibus urge-
 re, ut sit sensus : quando Abraham suum filium ad manda-
 tum Dei offerre volebat, apparebat verum id esse, quod
 antea dictum erat, ipsum justum esse coram Deo creden-
 do, quod homines prius cernere non poterant: nunc autem
 ex hoc fidei fructu agnoscebant. vide & confer v. 21. &
 22. & v. 24. justificari eodem modo accipitur, quo Matth.
 12, 37. ex verbis tuis justificaberis, & 1. Tim. 3, 16. Deus
 incarnatus justificatus est in spiritu. confer etiam Pl. 51, 6.
 Matth. 11, 19. Luc. 7, 35.

XIX.

Usus.

*Scriptura
 sequenda.*

I. Omnium credendorum & faciendorum regula
 unica est scriptura, non natura vel ratio humana : quod
 si observas contra Anabaptistas, Calvinianos & Photi-
 nianos jam magnam partem multis eorum argumentis
 satisfecisti, sicut & iis, quæ ex traditionibus allegant pon-
 tificii, quibus omnibus & similibus opponimus hoc Apo-
 stolicum, *quid dicit scriptura?* II. Si dicit scriptura, non
 est litera mortua, sed iudex omnium controversiarum.
 vide Colloq. Ratisbon. III. Objectum fidei ratione assen-
 sus est omne Dei verbum, & primarium quidem arti-
 culi fidei : ratione autem fiducia generale objectum est
 omnis promissio Evangelica: speciale & quâ justificat,
 meritum Christi, siquidem hic solus apprehensus fide est
 nostra justitia, & in & ab illo solo salus. IV. Fides justifi-
 cat instrumentaliter, non meritorie, neq; formaliter: hoc
 enim solius justitiæ Christi est proprium.

XX.

Vers. 4.) Connexio Majoris in syllogismo præce-
 denti



dentem v. 3. nunc porrò probatur v. 4. & 5. ubi ipsa locutio & oppositio probè notanda venit. Illa iterum secundum quid est acceptanda, siquidem operari Paulo is h. l. *Operari quid h. l.* dicitur, qui operatur respectu meriti, ut id consequatur, qui confidit suis operibus, se justum posse fieri coram Deo, qui facit bona opera, ut mercedem reportet vitam æternam. Nam aliàs etiam credentes benè operantur, sed non ut mercenarii, verùm ut filii Dei dilecti, qui recipiunt à Deo mercedem, sed non strictè vel propriè sic dictam. Oppositio cernitur inter hoc mercenariorum operari, & credentium ex gratia imputari, quæ sunt in justificationis actu immediatè contraria, unde Apostolus ita argumentatur: I. Ei, qui operatur, datur merces strictè sic dicta. Abrahamo non data est merces strictè sic dicta. Ergo non fuit operatus Abraham, hoc est, non conatus est operibus justitiam veram apud Deum consequi. II. Ei, qui operatur, non imputatur aliquid ex gratia. Sed Abrahamo est fides ad justitiam imputata ex gratia. Ergo non est operatus, & per consequens neq; ex operibus justificatus. III. Qui ex debito justificatur, illi gratis justitia non est data. Sed Abrahamo est gratis justitia data Gal. 3, 18. Ergo non est ex debito justificatus. Et vice versa: Cui gratis dedit justitiam per fidem Deus, ille non est justificatus ex debito. Abrahamo Deus gratis dedit justitiam. Ergo non est justificatus ex debito. Idem evincitur ex versu 5. ubi tantùm habetur propositio: Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam. Sed Abraham non operabatur, verùm credebat in Deum. Ergo Abrahamo imputata est fides sua ad justitiam, quod dicebat Moses, & Paulus ad v. 2. inde concludebat.

Obfer-

Observetur, quod Paulus in hoc versu quarto agat καὶ ἀνθρώπων, i. e. cum Judæis ex suis pravis hypothesibus, siquidem existimabant eandem esse rationem justificandi hominem coram Deo, quæ est ratio compensandi aliquod opus in vita civili seu communi. Sicuti hic, qui pro mercede laborat in vinea, agro, militia &c. Illi, quando opus perfecit, non donatur, sed ex debito datur merces promissa ex justitia ethica. Verum de Deo καὶ δόξαν justitiariorum hic sunt accipienda, non καὶ ἀλίθειαν, quia Deus creaturæ simplici & nudæ nil quicquam debet, ut Paulus verè concludit Rom. 11, 35. ex Job. 41, 2. quia illa omnia à Deo accepit, sua omnia ei debet, & benè de Deo non meretur, qui etiam ejus ope vel operâ plane non indiget. Et vide vel sanctissimum Abrahamum! quodnam ejus meritum, ob quod Deus ex debito eum relictis aliis in patria vocaret in terram sanctam, promissionemq; de femine benedicto daret? nullum sanè, sed mera Dei gratia ibi visitur, quando fide sua justus pronunciat. *At qui ei, qui operatur, ut ex operibus suis justificetur, mercedemq; reportet, si ita quicquam obtinet, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito, puta ei redditur ob opus præstitum, estq; tum fundamentum in ipso operante, cui imputatur præmium ex debito, si hoc imputari dicendum est, quod redditur atque justè exsolvitur.*

XXII.

Ufus.

I. *Opinio operum semper secum affert opinionem debiti & meriti.* II. *Deus nulli quicquam debet & homini omni post lapsum nil nisi iram, nam quod promittendo*

tendo credentibus in Christo se fecit debitorem, ex gratia oritur, non ex debito. Absit igitur opinio meriti humani, quia hoc ipsum verè sic dictum nullum est.

XXIII.

Verf. 5.) Sic ergo nil proficiunt homines, quia, ubi omnia, quæ debent, fecerunt, id restat, ut fateantur, se esse servos inutiles, & si Deus ex justitia rigida cum ipsis vellet agere, nil aliud, quàm poenam esse meritos. Illo igitur modo inaniter se oblectent justitiiarii, tandem se fuisse frustra cum Phariseo Luc. 18. sentient, & contrà qui non habent vel exercent bona opera respectu habito ad meritum, in conspectu Dei possunt justificari & absolvi cum publicano, si ad ejus exemplum credant. *Ei vero, qui non operatur ut justitiiarius vel mercenarius, sed credit in* (vel super, *Ἰησῷ*, ut ita notetur fiducia, & hujus *πιστεύω* fundamentum firmissimum, cui innititur fides velut basi. sic infra v. 24. Actor. 9, 42. & 22, 19. Rom. 9, 33. & 10, 11. 1. Petr. 2, 6. confer 1. Timoth. 4, 10.) *eum, qui justificat in se & inhæsivè impium, & qui talis est naturâ, sed non talis manet per gratiam suprâ e. 3, 26. imputatur sua fides ad justitiam, fides ὀρθάνομος justificat, & correlativè sumta affert secum in Christo, quem apprehendit, veram justitiam. Vide quæ superius dicta ad v. 3.*

πιστεύω
Ἰησῷ

XXIV.

His addo: Tripliciter rem bonam imputari I. jure, *Tripliciter* quum imputatur, quæ inest, vel debetur, & tum imputari *aliquid bonè* est dari vel reddi. II. Injuriâ quum imputatur ei, cui *imputatur.* non debet imputari, ut quum injusto sine satisfactione imputatur justitia, ut Photiniani somniant, vel quando gloria Diabolo vel malis adscribitur. III. gratiâ, *C* quan-

quando injusto imputatur quidem justitia, sed ita ut a-
lius justitiæ satisfaciatur, atq; ita per *ἑπίκειον* quandam
fontibus dari potest venia propter alienum meritum.
Et hic ultimus modus dat nobis illud mirabile tempera-
mentum misericordiæ & justitiæ Dei, quo fit, ut homo,
quod ad se, absolvatur gratis, in judicio Dei, & non gratis,
videlicet ex parte mediatoris, qui pro ipso solvit *λύτρον* suf-
ficientissimum.

X X V.

Q.

R.

*Abraham
impius.*

Si quis quærat, quomodo hoc, quod Deus justificet
impium, pertineat ad Abrahamum, qui tum non erat
impius, quando scribitur de eo, Credidit & imputatum
est ei ad justitiam? sciat, aliter impium in judicio divi-
no, aliter in humano describi: ibi impius in se est omnis
corde immundus vel minimam partem, & qui saltem in
uno offendit vel deficit: hic verò is demum impius cen-
setur, qui omnia legum vincula perrumpens externis fla-
gittis se polluit. Priori modo Abraham fuit impius, hoc
est, peccator coram Deo. Nam in principio capitis 15.
Genes. stomachatur & indignatur, quod Deus ipsi non
dederit filium, & antea mentitus fuisse legitur ex diffi-
dencia cap. 12. Non autem posteriori modo erat impius
seu improbus ac flagitiosus coram hominibus. Sed magis
& minus non variant speciem, & si Deus cum ipso Abra-
hamo vel Davide velit ingredi in judicium rigidum, sub-
sistere neuter potest, quia si Deus in suis sanctis angelis
non reperit mundiciem omnimodam, confirmatq; eos ex
gratia mera, quomodo homo ex immundo semine natus
mundus, præterquam in Christo, coram illo appareret?

Ufus.



Usus.

I. Omnino bona opera sunt facienda, sed non eo fine, ut per ea aliquid promereamur, vel salutem æternam adipiscamur, quo sensu Lutherus in majore confessione de cœna. *Wer die guten Wercke zur Gerechtigkeit nötig verstehet/der feilet: wer sie aber zu Gottes Lob nötig verstehet/der trifft.* II. Paulus uno hoc ariete omnia Pontificiorum de merito bonorum exstructa mœnia concutit & prosternit, primò quum *non operanti. 2. impio* (qualis quid promeretur apud Deum?) *credenti tantum imputari* justitiam asserit.

XXVII.

Vocem TANTUM addo ex versione antiquissimâ Syra & Arabica, oppositionis naturâ, Apostoli explicatione hinc inde positâ, ubi opera ab actu justificationis prorsus removeret, sicut & statim versu sequente facit. Nam si quid est, quod ex nostra parte potest justificare, vel est fides tantum, vel opera tantum, vel fides & opera simul. Sed non opera tantum, neq; fides & opera simul, Ergo fides tantum. Sic verò accipiendum est, quando dicimus, sola fides hominem justificat, quod exclusiva non determinet subjectum, quasi fides excludat reliquas Christianas virtutes, ne adsint velut signa, aut ne comitentur velut fructus, sed quod prædicatum determinet videlicet quod reliqua omnia, quæ adsunt, ab hoc organico munere apprehendendi Christum & instrumentaliter justificandi sint sejuncta. Ut cum dico, sola auris audit, non dico, quod sit sola, sed quod audiat sola & apprehendat sola objectum suum, nempe sonum in aère factum. Sic Lutherus scribit in cap.

Tantum credenti.

Particula SOLA quid notet?



15. Genes. Scimus, quod fides nunquam est sola, sed affert secum charitatem, & alia multiplicia dona, neq; unquam sola est: sed non ideo confundendæ res, nec, quod solius FIDEI est, aliis virtutibus tribuendum.

XXVIII.

*Imputatur
fides SUA.*

III. Diligenter notetur contra eosdem Pontificios, quod dicit Apostolus, imputatur fides SUA. Hæc enim particula fidem implicitam, quam illi obtrudere nobis volunt, planè explodit, sicut & eadem particula Habac. 2, 4. reperitur, quæ tamen cur in trina allegatione ejus dicti in N. T. facta Rom. 1, 17. Gal. 3, 11. Hebr. 10, 38. omissa sit, satis benè edisserit Fr. Junius in parallelis, & ante decennium in illius prophetici dicti explanatione peculiari idem ostendi. Et hæctenus primum Apostoli in hoc capite argumentum fuit.

XXIX.

*II. Argum.
Davidis te-
stimonium.*

Verf. 6.) Sequitur secundum, quod à testimonio Davidis desumptum ita concludit: Quomodo David dicit hominem salvari, & per consequens etiam justificari (quia utriusque sunt eadem causæ, & beatitudo nil est, nisi consequens justificationis ultimum, Rom. 8, 30.) ita, salvatur & justificatur; sed David dicit hominem salvari & justificari per imputationem justitiæ Christi, quæ fit fide, absque operibus, verf. 7. & 8. Ergo homo ita justificatur absque operibus per imputationem justitiæ Christi, quæ fit fide, v. 6. Quemadmodum igitur ex Mose, audivimus, ita & ex Davide eandem assertionem, hominem fide justificari absque operibus, percipiemus, atque ita in ore duorum consistet verum. Sicut & (consensus Prophetarum & Psalmorum cum Mose notatur, vide supra in argumento hujus capituli thes. 1.) David dicit, imò

imò declarat ac prædicat, *beatificationem hominis* scilicet esse vel obtingere illi (retinet Apostolus hebraismum, quem interpretes aliàs non malè per concretum explicant, beatum esse illum hominem) *cui Deus imputat justitiam Christi absque operibus propriis concurrentibus ad eundem hunc effectum justificationis ac beatificationis producendum, dicens:*

X X X.

Ufus.

I. Non est aliud Evangelium in N. quàm in V. Test. multò minus alia hominem justificandi ratio. Expende illud Petri Actor. 15, 11. Αλλὰ Διὰ τῆς χάριτος καὶ τῆς ἰσχυρῆς ἐπινοίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πρὸς ἡμᾶς σωθῆναι, καὶ οὐκ ὄντος ἑτέρου τρόπου κακείνου. *puta patres ἡμῶν v. 10.* Errant itaque Scholastici, qui primos patres lege naturæ, Judæos lege Mosis, nos verò in N. T. lege Evangelii salvari dicunt, quomodo etiam Servetus docuit, sub lege ex operibus omnes justificados esse, patres sub lege operibus justificados esse lib. 2. de lege & Evang. Justificados esse ex gentibus, qui recto naturæ motu benè vixerint. Vide plura apud Wigandum de Servetianismo. L. de Justificatione. II. Si tantum est justitia à Deo, quâ verè justificamur, & beati reddimur, non est quædam ex nobis (quæ coram Deo valeat) & proinde non est duplex justificatio, ut censent Pontificii.

Una justificandi ratio.

X X X I.

Verf. 7.) *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum obteeta sunt peccata.* Ubi duabus similitudinibus hanc rem explanat Psalmista, dum peccata cum reatu velut pondere gravissimo deprimente ad infernum usque, & sordibus ex conspectu per obtectionem remotis con-

C 3

fert,



fert, quæ alibi prolixius explicata. Paucis hîc textum hebraum Psalmistæ cum græco Apostoli componamus. Quod enim dixit Psalter, beatitudines levato à defectione & tecto peccatum, id Apostolus ita reddit, *μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἀπεκαλύφθησαν αἱ ἀμαρτίαι*, ad emphasin singularem numerum in pluralem convertens, & sensum hebraïsmorum exprimens. Ubi ne quis objiciat: quorsum hoc? Paulus egit hætenus de imputatione fidei, quæ est *θεπκὸν* quid, hîc verò in allegato dicto ex Psalmo sunt *δενήλικα*? Respondeo, cohererent hæc atque se mutuò ponunt & tollunt, sicut & in sequenti versu patebit. Ubi enim imputatur Christi justitia, ibi non imputatur justitia propria, & vice versâ. **USUS.** Justificatio nostri respectu nostri omnino est gratuita, quia peccata à DEO remittuntur, teguntur, non imputantur nobis.

XXXII.

Verf. 8.) *Beatus est unusquisque Vir, cui non (aut nequaquam, ullo modo, quia in textu græco gemina negatio ἔ μὴ fortius negat) imputavit Dominus peccatum,* quem onere reatus levavit, cujus foeditates veste justitiæ Christi texit, eâque illum ornavit, ac si esset ipse; & contrâ ipsa peccata, quæ erant hujus viri, non imputat, non exigit illorum pœnas, sed condonat. Sciendum itaque, uti paucis innui superiori thesi, quod hæc se mutuò ponant ac tollant, nempe condonatis peccatis donatur Christi justitia & applicatur per fidem, peccatum, quod inest, non imputat Deus, & justitiam, quæ non inest, imputat, Dan. 9, 24. 2. Cor. 5, 19, 21. Usus horum, quoque Comment. in Psalmum 32, fuis indicatus, actum non agemus.

Ex his

XXXIII.

Ex his superioribus tribus versibus conjunctis def- *Definitio Ju-*
 nitio justificationis prodit talis: Justificatio est actio *stificationis.*
 Dei peccata ob imputatam Christi justitiam credenti
 absq; operibus remittentis, tegentis, non imputantis. Bel-
 larminus quæ Calvino & Chemnitio circa hanc particu-
 lam lib. 2. de Justificat. cap. 9. objicit, facilè solvuntur,
 si observes, nos quærere de formali causa, quæ dat rei
 esse, ipsum de signis externis, quæ rem non faciunt, sed
 saltem notant. Apostolum autem definire hîc rem ipsam,
 patet, quando dicit de eo, quid sit justificatio, non tantum,
 unde & quomodo contingat nobis. Tegere etiam pecca-
 tum non esse id delere, constat ex Num. 23, 21. Hactenus
 secundum argumentum.

XXXIV.

Vers. 9.) Tertium Argumentum est hoc: sicut *III. Argu.*
 pater omnium credentium est justificatus, sic justifican- *Pater cre-*
 tur omnes ejus filii. Sed is est per imputatam Christi *dentium fi-*
 justitiam absque operibus justificatus. Ergo ita etiam *de est justifi-*
 justificantur omnes ejus spirituales filii. Minorem pro- *casus.*
 bat, quia Abraham ante illud opus, quod maximè videtur
 ejus dignitatis, ut justificet, est justificatus, videlicet
 ante circumcisionem acceptam. Jam verò effectus non
 est ante causam. Ita enim Judæi rationem secum depu-
 tabant: Quicquid sit de omnibus aliis operibus, non ad-
 modum curamus, circumcisionem, quæ sola potest justi-
 ficare, urgemus. His occurrit Paulus, ostendens, quod
 Abrahamus nullo modo per circumcisionem sit justifica-
 tus, sed quum esset incircumcissus v. 10. Circumcissum,
 autem esse alium ob finem internum, ut esset circumcisio
 obfi-



obsignatio fidei v. 11. externum, ut esset pater circumciso-
rum Judæorum. v. 12.

XXXV.

Ne Apostolus perperam duo illa exempla Abrahami & Davidis velut singularia, quæ non faciant vel demonstrent universale, adduxisse videatur, prius resumit, & ab hypothese ad thesin deducit, ac demonstrat, quod cap. 3. v. 29. & 30. asseruit, Deum non aliter Judæos, quàm gentes justificare, nempe utrosque per fidem, quia utrorumque pater est Abraham, qui etiam propterea in utroque statu ante circumcisionem, & in circumcissione fidelis fuit, ut esset exemplar omnium justificandorum, imò omnium credentium pater, pater autem imitationis. *Ista igitur beatitudinis declaratio in circumcisionem tantum, an in preputium tantum cadit? dicimus enim Abrahamo imputatam fuisse fidem ad justitiam.* Querimus meritò, anne beatus iste status, qui est ex imputatione justitiæ absque operibus, sit circumcisorum tantum, quod Judæi existimant, anne tantum incircumcisorum & gentilium, quod quis putare poterat, quando audit, Abrahamo imputatam esse fidem tum, quum nondum erat circumciscus? Responsio diserta statim non est adjecta, sed ex sequentibus colligitur, quod ad utrosque pertineat, & probatur illud *ὅτι ἐγὼ ἠγάπησα ἐγὼ* de gentilibus & incircumciscis v. 10. de circumciscis v. 11. & 12. Confer quæ suprâ contra Scholasticos & Serverum dicta. v. 6. th. 30.

XXXVI.

Ufus.

I. Minister verbi, vel potius omnis Theologus, qui rectè & cum fructu cupit docere, non tantum *ἵνα* stabi-



stabiliat, sed etiam ἀντίθετον refutet, ac dubia solvat, ut in errorem seducantur imperitiores; sed tamen servetur modus in hisce quoque rebus; & textui ac quaestioni, de qua agitur, non inferantur vel intrudantur, sed ex ipsa resiliant, ut sponte sua venisse, non irruisse videantur. II. Abraham omnium credentium est pater, quia tantum ratione fidei pater censetur, non respectu circumcisionis aut praeputii. Fides autem in omnibus salvandis requiritur, non circumcisio aut praeputium. Confer Gal. 3, 26. 29. Rom. 9, 7. 8.

XXXVII.

Verf. 10.) Quomodo ergo seu quando imputata est illa fides ad justitiam Abrahamo? an, quum in circumcissione esset, demum, an vero antea, quum adhuc esset in praeputio? Respondeo, tempus ipsum satis expressè à Mose positum est, videlicet non est Abrahamo fides imputata ad justitiam, quando divinum illud accepit elogium, de quo supra v. 3. in circumcissione, quippe quae postea cap. 17. demum instituta est, quum cap. 15. illa justificatio describatur, sed in praeputio ad minimum tredecim annos ante circumcissionem, quod ex collatione locorum Gen. 16, 16. & 17, 24. 25. patet.

Quando Abrahamo imputata justitia?

XXXIIX.

Ufus.

I. Si non ex Circumcissione demum justificatus est Abraham, operibus (inter quae haec videtur optimum, ratione obedientiae maximae, quae hic cernitur) non est justificatus coram Deo. II. Si ante circumcissionem Adam, Abel, Noachus, Abrahamus fuit justificatus, vera quaedam electorum Ecclesia fuit ante Sacramenta.

D

Verf.



*Circumcisio
quid profu-
erit Abraha.*

Verf. II.) More suo obloqui poterant Judæi pro-
caciter: Ad quid igitur profuit circumcisio Abrahamo, si
non justificatus per eam? quid itaque boni contulit hoc
foedus Dei? Respondet Paulus etiam suo more leniter,
non donavit, sed obsignavit justitiam antea datam, &
hic circumcisionis usus internus ac communis est in o-
mnibus adultis credentibus (nam de infantibus aliter se-
res habet, quibus est regenerationis organon, & fidem,
ac justitiam simul confert); sed ut abunde vobis satisfa-
ciam, qui nimium urgetis circumcisionem, & alium in-
solo Abrahamo externum singularem quendam usum e-
jus monstrabo versu sequente, & dicam, propterea esse
jam justificato in præputio circumcisionem datam, ut esset
pater circumcisorum Judæorum, ex quibus Messias erat
venturus, circumcisurus corda, & futurus minister cir-
cumcisionis. *Et signum accepit circumcisionis sigillum
justitiæ fidei illius, quæ in præputio erat data, ut ita esset
pater omnium credentium tum eorum, qui sunt in præ-
putio & incircumcisi, ut imputetur etiam ipsis justitia
illa, quæ Abrahamo, quem tantum esse patrem vestrum,
ô Judæi circumcisi, esse gloriamini frustra. Pater e-
nim hîc vocatur primus autor, vel in quo primum
exemplum: filii appellantur, qui exemplum sequuntur,
vel quibuscum similiter agitur, seu qui eadem re sunt
præditi, vel ei dediti, quod alibi exemplis scripturæ pro-
batur.*

XL.

*Abraham
cur pater
credentium.*

Et ne quis inferat, sed ante Abrahamum Abel, Noa-
chus & alii crediderunt, fideque sunt justificati, Ergo illi
erunt patres credentium? sciendum, Abrahamo dari no-
minis

minis hujus honorem, quia ejus fides maximè excelluit, sicut & infra probabit Apostolus in hoc capite v. 17. eiqve omnium primò impurata manifestè legitur hæc justitia, sicut & antea audivimus v. 3. quid scriptura dicit? eum, ergo, de quo scribitur expressè, imitari ut patrem debent omnes credentes.

XLI.

Bellarminus lib. i. de Sacramentis in genere cap. 17. *Contra Bellarm. nota.* multa objicit, quæ ut diluas, observa I. loqui Apostolum de circumcissione, sed non de specifica ejus differentia aut propriis, verùm prædicatum adhibere commune omnibus sacramentis, quale est, quod ad causam externam pertinet, videlicet finem. II. dum nominat Apostolus justitiam fidei, simul eum comprehendere promissiones Evangelii, tanquam fidei objectum & correlatum. III. non soli Abraham hoc datum esse privilegium, sed ejus semini, cujus erat promissio & foedus Gen. 17, 7. IV. Sive unum idemqve, sive diversa diversis illis vocabulis *σημεία, σφραγίδες*, indicari, (quorum illud ex veteribus Chrysostomus, ex recentibus D. Hunnius, hoc autem D. Mylius, aliiq; statuunt) dicamus, manet tamen, quod unus idem usus fuerit in posteris, qui in Abrahamo, quia ut promissiones, ita & illarum sigilla, sunt totius Ecclesiæ, non unius individui.

XLII.

Usus.

I. Quod Sacramenta sunt signa, id pertinet ad naturam & conditionem eorum: quod autem sunt sigilla & signacula, id pertinet ad eorum usum, & proinde de iis ita docendum, ut h. l. Apostolum fecisse videmus, ne, dum naturam & substantiam explicamus, usum negligamus: *Sacramenta signa, sigilla.*



mus: vel dum de usu differimus, naturam & conditionem eorum prateramus. D. Mylius. II. Tenendum hinc, quod vox signi modò partem sacramenti, modò integrum denotet Sacramentum: priori modo elementum terrestris designat rem cœlestem, posteriori usum spirituale & fructum. Ubi notamus etiam, quod circumcisio

Gen. 17, 10. 11. Gen. 17. v. 10. vocetur fœdus Dei, puta quando totam actionem respicio: aliàs v. 11. quando partem considero, videlicet amputationem pelliculæ, appellatur signum fœderis. III. Ratione eâ quod sacramenta sunt signa, observandum, alia esse in V. T. nempe *σημαντικά*, respectu rei cœlestis, alia in N. T. nempe *μετάδοτικά*. IV. quia Sacramenta sunt signacula justitiæ fidei in adultis, nisi illi fide jam præditi & justificati sunt, nil ipsis profunt. Quod si ita est, ex opere operato non conferunt gratiam Evangelii propriam, hoc est, remissionem peccatorum. V. Quia etiam in Abrahamo circumcisio obsignavit justitiam fidei, veteres (in V. T.) non tantùm habuerunt bona corporalia, sed & ipsa spiritualia, perq̄ve fidem eorum facti sunt participes, & proinde ratione finis Sacramenta sunt paria, licet non sint paria ratione essentia, quod ad rem cœlestem. Desinat igitur ineptire Bellarminus adducendo locum ex 1. Cor. 7, 19, *circumcisio nihil est*. Distinguenda enim sunt tempora; in N. T. circumcisio nihil est, nihil prodest, Gal. 5, 2. 3. 4. sed non item in V. Test. VI. Quia Abraham neque per præputium vel opera bona in eo facta, neque per circumcisionem ac opera postea edita fuit justificatus, neque gentiles legis naturæ, neque Judæi legis moralis operibus possunt justificari, sed utrisque, quando ad exemplum Abrahami credunt in Christum, imputatur Christi justitia. VII. Nihil est in rebus divinis

Gen. 17, 10. 11.

1. Cor. 7, 19.



vinis tam vile, quod non sit, si rectè consideretur, sapientis-
simè institutum. Vide 1. Cor. 1. fere totum caput. Sic
signum Circumcisionis erat vile & incivile, videlicet pelli-
culæ membri genitalis amputatio, sed de multis & magnis
mysteriis nos monet 1. de naturæ immunditie ex ortu. 2.
de circumcisionis & baptismi gratia. 3. officio nostro, quod
debeamus omnia prava circumcidere. IIX. Est una o-
mnium credentium Ecclesia. Eph. 4, 4.

XLIII.

Vers. 12.) Quod verò dicere poterant Judæi, an A-
braham est pater gentium credentium, qui quidem sit
pater noster, qui sumus circumcisi? huic tacitæ objectio-
ni jam quoque persolvit Apostolus, & quod non rectè id
accipiant, demonstrat. *Etiam pater circumcisionis seu*
circumcisorum (ita enim Paulus hinc inde in hac epistola
vocem circumcisionis accipit, abstracto utens pro con-
creto; vide saltem cap. 15. v. 8.) sed non simpliciter, nisi
ratione carnali, quæ hic non attenditur coram Deo, pater
spiritualis est iis circumcisis carne, *qui non solum sunt ex*
circumcisione carnali seu externa, sed qui præterea etiam
incedunt per vestigia fidei patris nostri Abrahami, fidei,
inquam, illius veræ, quæ fuit *in præputio*, dum nondum
erat circumcissus; confer. v. 10. Summa est: Abraham
est pater Judæorum naturalis, spiritualis autem fit tum-
demum, quando eum in fide imitantur: quod qui ex Ju-
dæis non faciunt, Abrahami filii degeneres sunt, & tan-
tùm in externis eum patrem habent, quod coram Deo nil
est, nil prodest.

XLIV.

Neque est, quod quis obducat illud ex Matth. 23, 9. *Matth. 23, 9.*
cum antea dictum sit, Abrahamum esse patrem fidelium

D 3

in



in terris, patrem ne vocetis quenquam vestrum in terra: unus enim est pater vester in caelis: quia prohibetur hoc, ut & in v. 8. ac 10. secundum quid, ne quem vocemus magistrum nostrum aut doctorem nostrum, puta eâ ratione, quâ Christus nobis magister ac doctor à Deo patre est propositus, cui per se sit habenda fides, & si quis illum audire nolit, ei poena maxima sit parata, sic etiâ non vult quenquam vocari patrem nostrum in terris ratione potentiae & ratione fiduciae Mal. 1, 6. & h. l. quia nemo præter Deum potuit nos creare, & nemo etiam præter eum potest ex omnibus malis liberare.

XLV.

Usus.

I. Judæus & Israëlita verus non ex circumcisione tantum coram Deo etiam in V. T. sed ex fide Abrahamæ censetur potissimum. Frustra tum ergo in carne illi gloriabantur, & longè majori in errore nunc versantur, dum ex carnali prosapia sibi prærogativam quandam esse existimant, aureumque seculum tandem in terra sancta sibi inde pollicentur. II. Abraham longè antè credit, quàm se suosque circumcidit, & proinde non tantum in circumcisione fides & justificatio, nec ad circumcisos tantum pertinet Dei promissio in N. T. ut Apostoli quidam, præcipuè Petrus Act. 10. primùm credebant.

XLVI.

IV. Argum.

Verf. 13.) Nunc quartum Argumentum subjicit Apostolus. Per quod Abrahamus factus est hæres Dei & mundi, per id est justificatus. Sed non per legem v. 13. 14. 15. verum per fidem v. 13. & 16. Ergo non per legem seu opera, verum per fidem fuit justificatus. Ex proximè præcedenti commate, quod fides Abrahami fuerit in præputio

tio

tio v. 12. in fine, & quod Abraham sit quidem pater spiritalis Judæorum, sed tantum credentium, infert hoc Paulus, quod non satis sit insistere vestigiis Abrahami in circumcissione aliisque operibus, quia per legem neque ipsi Abrahamo facta est promissio, sed per justitiam fides: ideoque si Abrahamus non ita per opera factus est hæres, multo minus alii. *Non enim per legem & opera juxta illam facta promissio cessit Abrahamo aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei, quæ nos reddit filios Dei, proinde etiam hæredes, imo & cohæredes Christi, qui proprie & per se est hæres mundi id est, possessor ex filiationis jure. Confer Roman. 8. 17. Galat. 4. 5. 7. Vide D. Bugenhagium Comm. in Ps. 8. sub finem, ut merito exclames,*

Hæres mundi.

Christianos rerum dominos, gentemque beatam! qui enim per fidem est in Christo omnium domino, & propter nos factus, est & ipse hæres mundi ac dominus omnium, sed ex gratia adoptionis.

XLVII.

Quidam interpretes vocem mundi accipiunt synecdochicè pro parte mundi, videlicet terra Canaan, & cælo hujus antitypo: quidam volunt esse idem, hæres mundi & pater omnium credentium. Illos nimis coangustare bona per fidem collata, sunt qui existimant: nos rectè intellectæ illi sententiæ priori dicam non scribimus, nec autores illius reprehendimus: sed posterioris sententiæ ὁ πᾶσι, quasi mundus notet electos tantum, repudiamus. Interim tamen si dicendum est, D. Mylius videtur longi rectius hæc ita exponere: I. comparatè, quod tanta sunt bona, quæ credentibus per fidem dantur, ut totus mundus ad illa collatus par iis non sit. II. effectivè, quia

1.

2.

3.



quia fides vincit mundum. Quod si autem Abrahamus non factus est hæres mundi, nisi per justitiam fidei imputatam, nec alii, ejus filii spirituales, aliter hæreditatem cœlestem consequentur, quia hic est ordo, electio, fides in Christum, justificatio, hæreditas.

XLIIIX.

Promissio autem, cujus h. l. fit mentio, ubi extet, non convenit inter omnes interpretes. Quidã Gen. 15, 7. aliqui Gen. 17, 4. 8. Verum melius utiq; est, ut omnem promissionem gratuitam, potissimum de semine benedicto Christo Jesu intelligamus. vid. Gen. 12, 1. 2. 3. & conf. quæ leguntur Gal. 3, 16.

XLIX.

Ufus.

I. Legi addita quidem est promissio, sed sub conditione, *si fecerit hæc homo*: verum in Evangelio est promissio gratuita respectu nostri, & tantum ad justificationem requiritur fides Christi merita sibi applicans. Et quomodo potuit Abraham promereri illam promissionem, quã antequam Deus illam sibi faceret, planè de illa vix cogitare quidem potuerit? II. Per fidem omnia necessaria nobis possidemus, & in malis omnibus superiores ac victores evadimus, si quis autem fide caret, sciat, nihil esse suum, nil se justè possidere, quum non sit in eo, cui pater dedit omnia.

L.

Ex lege non est hæreditas.

Verf. 14.) Assumptionis priorem partem negativam probat jam ulterius Paulus tribus absurdis: Nam si ex lege & operibus esset hæreditas (1.) fides evacuetur. (2.) promissio aboleretur verf. 14. & (3.) lex, quæ iram operatur, gratiam operaretur. v. 15. Sed fides non evacuetur, promissio non aboletur, lex gratiam non operatur,

tur. Ergo ex lege & operibus non est hæreditas. *Etenim si ii, qui ex lege sunt, qui per legem & opera putant se justificari ac salvari, heredes sunt vitæ æternæ, vana facta est fides, quippe aliud erat justificationis absq; fide medium, & inanis reddita est illa promissio de semine benedicto, quum hoc opus non esset, si quis homo per opera posset benedictionem impetrare. Verum tantum abest, ut quis possit dicere, vanam esse fidem, ut nisi illa adsit, vana sit omnis spes de vita æterna, quia ex fide sua justus VIVET, Hab. 2, 4. & tantum abest, ut quis possit cogitare, promissionem de semine benedicto esse inanem, ut sine illâ mera maledictio totum genus humanum premat.*

LI.

Ufus.

I. Rectè Apostolus Gal. 3, 18 si ex lege hæreditas, non est ex promissione. Sed Abrahamo hæreditas obtigit ex promissione, Ergo non ex lege, & per consequens, non ex operibus, quia lex est doctrina operum. II. Fidem non esse vanam, prodat autor epistolæ ad Hebræos c. 11. Promissionem autem Dei firmam per stare, tota scriptura probat, & huc spectant omnia Sacramenta, divina juramenta, tot ac tanta gratiæ Dei monumenta.

LII.

Verf. 15.) *Nam lex incidens in homines imperfectos ac infirmos post lapsum Adæ nil aliud, quàm iram efficit seu operatur, quum nullo modo ipsi satisfiat, mortem & damnationem denunciat, & ita ex lege est tantum peccati agnitio, non hominis curatio, vel peccati sublatio: & lex iram operatur non per se, sed per accidens, quatenus violatur, sicut ex contrario jam porrò probatur. Ubi enim non est lex, ibi*

Sed peccati agnitio.



nec transgressio est vel agnoscitur, & è contrario, ubi est lex, puta in usu suo, ibi transgressio apud homines lapsos est & agnoscitur, & quando agnoscitur, nil aliud nos meruisse omnes videmus, quàm iram; sic infrà cap. 5, 13. usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum verò non imputatur, ubi non est lex. & cap. 7, 7. peccatum non agnovi, nisi per legem; & v. 8. absque lege peccatum est mortuum, & cap. 5, 20. ubi abundavit peccatum, puta non faciendo simpliciter, sed factum jam agnoscendo & de eo dolendo atque ad mediatorem confugiendo. &c. Utrobique Syrus habet particulam $\tau\delta$ quando seu quum. Vide etiam ea, quæ Bellarminus lib. 4. de amiss. grat. & statu peccat. c. 8. in quinto & sexto testimonio.

LIII.

Ufus.

*Peccatum
originis.*

I. Ex lege velut speculo Jac. 1, 23. peccata, tanquam spirituales labe, maculæ, nævi agnoscuntur, & inde terrores mentis oriuntur, quando nos legi non satisfacisse, & pœnas denunciatas propterea impendere videmus. Rom. 3, 20. & 7, 7. 8. 14. II. Zuinglius hinc malè concludit, Infantes non habere peccatum Originis, lib. de baptismo cap. 3. & 4. Nam ubi omni homini posita est lex, ibi etiam infantes habent legem. Esse autem sine lege Rom. 2, 12. ne quidem ita dicitur simpliciter, multumq; differunt $\alpha\lambda\lambda\omicron\upsilon\mu\omicron\varsigma$, & $\alpha\lambda\omicron\mu\omega\varsigma$, & qui legem scriptam non habent, habent menti insitam; & v. 14. gentes legem non habent, etiam secundum quid intelligendum est, videlicet ita tabulis lapideis inscriptam, solenniter latam, ita dilucidè in V. T. per prophetas declaratam, ut Judæi eam habent, non habent eam gentes. Hoc autem loco quod extat, contra Zvinglium ita potest inverti:

verti: Si apud omnes est transgressio, vel, si omnes, etiam
infantes, peccaverunt in Adamo, Rom. 5. & sub morte ac
damnatione sunt natura, Eph. 2, 3. omnibus est lex data; ;
aliàs non essent filii iræ, quum lex violata iram operetur, &
peccantibus nefariè fiat litera occidens. Et quid dicet
Zwinglius, quum infantes videt mori? mors autem est
peccati stipendium, Rom. 6, 23.

LIV.

Verf. 16.) Conclusio igitur ex superioribus hæc sequitur:
*Propterea ex fide est hereditas, ut sit per gratiam, non per
opera, non ex debito: & porrò per gratiam est, ut firma sit
promissio toti semini fide apprehensa & applicata, quæ aliàs
si conditio quædam ex nobis est implenda, ut in lege, non
est firma, quia nos sumus infirmi, Rom. 8, 3. toti verò semi-
ni Abrahamæ spirituali firma redditur promissio per fidem,
non solum ei, quod est ex lege seu Judæis, infra c. 9, 4. verum
etiam ei, quod aliàs est ex gentilitate, sed Abrahami filiis
computatur, quia est ex fide Abrahami.*

LV.

Ex lege vocat illud semen, quod ex circumcisione tan-
tùm dixerat v. 12. quodque exclusit v. 14. & 15. dum non-
dum advenit fides; ubi autem hæc adest, illud quoque ad-
mittitur. Ideoque h. l. particula *μόνον* cohæret cum *τῷ*,
non cum *ἡ*. Hoc innuit etiam Lutheri glossa marginalis,
allem Samen/ beyde den Juden und Heyden/ denn die
gläubigen Heyden sind so wohl Abrahams Samen als
die Juden. Tantum enim abest, ut velit Apostolus con-
cludere, tam eos, qui sunt ex lege, (hoc est, opera legis
urgēt ac faciunt eum in finem, ut inde salventur, qua-
les erant multi Judæi tempore Apostoli circumcisionem
cupientes esse inviridi observantia) justificari etiam suo

*Semen ex
lege quod-
nam.*

1.



id est, ab ipsis falso reputato justificandi modo, ut per aliquot versus nil aliud refutaverit, & nil aliud hinc inde in hac, & ad Galatas atque Ephesios scripta epistola reproba-
verit. Ergo ubi de re liquet, in verbis erimus faciles, præcipuè quia qui ex lege sunt simpliciter, stylo Apostoli aliàs usitato, non sint semen Abrahamæ spirituale, nec ullo modo coram Deo justifi.

LVI.

2.

Si cui verò hæc conciliatio non placet, videat, anne cum Syro interprete ita malit hæc explicare: *quod sit firma promissio universo semini ejus, Abrahami puta, non simpliciter, non etiam carnali tantum, non illi omni, quod ex lege est tantum, sed etiam, certè, illi omni, quod est ex fide Abrahamæ.* Jam confer v. 12. superius explicatum, & ejus quoque versionem Syriacam. Poterat enim quis objicere: Dicis, promissionem firmam esse omni semini Abrahamæ, ergo etiam Judæis circumcisis ac fide non præditis, quia sunt aliquo modo, puta carnaliter, semen Abrahamæ. Seu dilucidius hoc pacto: si promissio firma est omni semini Abrahamæ, etiam Judæis incredulis, quia, & hi sunt ejus semen. Sed illud, Ergo & hoc. Respondet Apostolus, non omni semini simpliciter, nec illi, quod ex lege est tantum, sed tantum illi, quod ex promissione est, sive sint Judæi, sive gentes.

LVII.

3.

Beza hanc instat viam, non tantum eorum, qui credunt, & simul ex lege circumcisi sunt, sed etiam eorum, qui absque circumcisione & solius fidei respectu censentur in Abrahami filiis: quæ expositio omnium minimè difficultatibus urgetur, & textui lucem facit, estque tantò magis amplectenda, quantò notius est, Apostolum sæpè contra eos
Judæ-

Judæos egisse, qui putabant, partim ex fide, partim ex operibus hominem simul justificari. Sic etiam censet D. Hunnius. Quando hic ait, promissam hæreditatem firmam esse ei etiam semini, quod sit ex lege, intelligit Apostolus eos, qui legi circumcisionis ex mandato Dei subjecti erant: qui certè si credebant in semen promissum, verè illis firma erat hæreditatis promissio, sed non illis tantùm circumcisis credentibus, verùm etiam his, qui sunt ex fide Abrahæ, etiam si non fuerint subjecti legi circumcisionis.

LIX.

Ufus.

I. Ex promissione Dei audita, lecta, meditata oritur fides, ex & per fidem gratia Dei in Christo generi humano facta fit nostra, & ita per filium huncce unigenitum filii Dei & dilecti in dilecto reddimur, Eph. 1, 6. Joh. 1, 12. nullo nostro merito, nullo ex debito, sed ex Dei promisso gratuito. II. Deus non est *ωρασωπολήπιος*, sed in omni populo timens eum & faciens justitiam, est ei acceptus, Act. 10, 34. 35. quia Deus non tantùm est Judæorum, sed etiam gentium Deus, Rom. 3, 29. 30.

LIX.

SECUNDA PARS.

Ex natura relatorum hoc sequitur; si omne semen Abrahæ verum & spirituale est per fidem tantùm, etiam ille Pater est omnium fide. Sed cur ipse præ omnibus hominibus aliis etiam Deo credentibus dicatur pater, & supra v. 11. attigi, & nunc explicandum est prolixius in hac secunda parte, ubi fidem Abrahæ valde commendat Paulus, ut ita hinc concludas: De quo expressè Scriptura dicit, *Fides Abrahæ commendatur.*

E 3

quod datur.



quod sit pater multarum gentium in Christo benedicto se-
 mine, & cujus fidem præ omnium aliorum fide extollit, is
 est pater omnium credentium. Sed de Abrahamo utrum-
 que verum est, & probatur, eum esse patrem omnium cre-
 dentium scripturæ testimonio ex Gen. 17, 4. vers. 17. & fidei
 præclarissimo encomio v. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Hæc verò est
 transitio ad hanc partem capituli. Et semini, quod est ex
 fide Abrahami, *qui est pater omnium nostrum*, puta qui in
 Christum credimus, qualis omnino Paulus, qui se reliquis
 adjungit. Confer genus loquendi simile Gal. 4, 26. & no-
 ta, quod etiam Paulus fuerit circumciscus, sed non propter
 circumcisionem solam Abrahami filius spiritualis factus,
 verum per fidem. Phil. 3, 5. 6. 7. &c. Inspice etiam conver-
 sionis ejus historiam. Act. 9. 22. & 26. capp.

LX.

Ufus.

Dei judicium.

I. Aliud est Dei, aliud hominum seu mundi judici-
 um, quemadmodum h. l. Abraham dicitur pater omnium
 nostrum, non coram mundo, sed coram DEO, cui credi-
 dit, qui ut solus fidem cordis videt, ita etiam solus suos
 novit, & quinam Abrahami, quinam diaboli filii sint, dis-
 cernit. II. Abrahami autem veri & genuini filii non
 censentur in scriptura ex carnali generatione, sed ex spi-
 rituali regeneratione, non ex prosapia, sed ex fidei gratia.
 Vide Esa. 51, 21. Matth. 3, 9. Luc. 19, 9. Joh. 8, 39. Rom. 9,
 7, 8. Gal. 3, 7.

Abraha filij.

LXI.

Vers. 17.) *Sicut scriptum est, patrem multarum
 gentium constitui te, non autem per carnalem genera-
 tionem, quia in solo Isaac vocabitur tibi semen, sed per
 spi-*



spiritualem tui imitationem, ideoq; sequens membrum huc quoq; ita spectat, *ad instar ejus, cui ipse credidit Deo*, id est, quemadmodum Deus est omnium Deus & pater, ratione creationis suprâ c. 3. v. 29. citra discrimen Judæorum & gentium, sic etiam Abraham omnium credentium pater est, citra illud discrimen, non humano, sed divino quodam more, hoc est, per fidem, quæ in Abrahamo valdè firma, unde in ejus laudes digreditur jam porrò Paulus, ubi prius fidei objectum, Deum promittentem, descripsit, ejusq; omnipotentiam ex mirificis effectis demonstravit, nempe 1. quia non tantùm contrarium ex contrario, sed & habitum ex privatione efficere, 2. ea, quæ non sunt, ut sint, verbo solo facere potest. Quia hic, cui credidit Abraham, est ille Deus *vivificans mortuos*, pro sua omnipotentia, quum juxta vires naturæ à perfecta privatione ad habitum non datur regressus, & *vocans ea*, id est, faciens existere sua vocatione *quæ non sunt, tanquam sint*, imò ut sint, & deinceps pro ejus nutu subsistant, ut in rerum creatione videre est Gen. 1. descripta. Neutrum potest natura, nempe ut id, quod esse desit, redeat idem individuo, aut id, quod planè est non Ens, ens esse incipiat, Deus autem potuit. 2. Corinth. 4, 6.

LXII.

Ufus.

In iis, quæ Deus promisit, & se facturum dixit, non est respiciendum ad impossibilitatem rerum, sed ad Dei omnipotentiam & verbum verum Luc. 1, 37. Jer. 32, 17. 27. Gen. 18, 14. Psal. 135, 5. 6. Zach. 8, 6. Lutherus in 1. Genes. Verba Dei sunt res, nos rebus factis tribuimus appellationes,

nes, sed Deus per vocabula res facit, & per hanc Grammaticam, quæ sunt impossibilia, fiunt facilima.

LXIII.

Nota præstantiæ fidei Abrahæ.

Verf. 18.) Notæ præstantiæ fidei Abrahæ per climacem vel gradationem quandam ponuntur (1.) quia contra omnem spem, humano more si loquaris & sentias v. 18. (2.) firmissimè v. 19. (3.) nihil quicquam disceptans v. 20. (4.) sed planè persuasum habens, omne fore ratum, quod Deus dixit vel promisit v. 21. credidit, ideoq; merito pater credentibus est datus, quia tanta fide fuit donatus. *Qui contra spem*, media naturalia si spectes, seu si attendas spem, quam concipere poterat ex consideratione naturæ, *sub spe* certa, quam concipiebat ex consideratione potentiæ Dei, *credidit fore*, ut certò impleteretur, quod dictum erat à Deo, *& ipse fieret pater multarum gentium*, qui ne quidem unum ex legitimo conjugio natum habebat filium, speravit tamen tantam suorum filiorum multitudinem futuram, quanta est stellarum in coelo, *secundum id quod dictum fuerat*, numera stellas, si poteris numerare eas? nullo modo, *sic etiam erit semen tuum.* Gen. 15, 5. quum Deus saltem verbum edidisset, etiam si nullos sperare poterat Abrahamus filios, multos tamen sibi promittebat, nec patiebatur spem illam, quæ coram mundo nulla, ullis dubitationum incurfibus labefactari.

LXIV.

Uſus.

*Fides.
Spes.*

Fides est ἐπιζουμένων ὑποσέσεις, unde enim hætenus credentes spe salvi facti sunt Rom. 8, 24. & spes non confundit Rom. 5, 5. sed nos, velut navem fluctuantem anchora, firmat & fundat firmiter Hebr. 6, 18. 19.

Verf.

LXV.

Verf. 19.) Quumque ita multis impedimentis
 objectis, iisque maximis fides ejus non resiliret, nec tot
 duris occurrentibus relangueret, immotus ipse Deo ad-
 hæsit. *Sed minimè infirmus fide non consideravit* vel at-
 tendit *suum ipsius corpus jam emortuum*, nec magis ad ge-
 nerationem idoneum, quàm mortuum, quum *centum*
circiter natus erat annos, nec ullam prolem ex Sara ha-
 ætenuis sterili viderat, *neque consideravit emortuum ute-*
rum Sara, oculos avertit ab impotentia naturæ tum suæ,
 tum uxoris, ad solam Dei omnipotentiam, quâ, ubi nul-
 la naturaliter se ostendit spes, quando ille vult, existit ta-
 men ipsa res.

LXVI.

Ufus.

I. Est quidem alia fides firma, alia infirma, sed
 modò verum suum objectum apprehendat, est vera &
 salvifica, quia magis & minus non variant speciem. Et
 hinc fides omnis ratione objecti vocatur *ἰσχυρὴ* 2. Petr.
 1,1. una Ephes. 4,5. communis Tit. 1,3. II. Multa
 Deus non modò suprâ, sed & præter & trans naturam
 facit, quia est naturæ Dominus: nec minus est mira-
 culum, fœcundas reddere, vel prorsus naturâ steriles, vel
 planè effœtas, quàm creare ex nihilo aliquid. Testatur
 id tamen historia hæc de Sara, Rebecca, Rahele, Hanna, E-
 lisabetha.

LXVII.

Verf. 20.) *Contrà verò ad hanc Dei promissionem,*
fore ut ex ipsius Abrahami visceribus prodeat, qui futurus
erat ipsius hæres, Gen. 15,4. non addubitavit incredulitate,

F

non

non disceptavit quicquam ex infidelitate, hoc est, nihil quicquam objecit, vel, quomodo hoc fieret, ex incredulitate rogavit, sed corroboratus fuit, istis cogitationum humanarum fluctibus fidem validè quassantibus, tributà glorià Deo, glorià veritatis & potestatis.

LXVIII,

Ufus.

Quomodo.

I. Duplex QVOMODO in scriptura nobis proponitur, humilitatis & discendi cupiditatis in Maria, & infidelitatis in Zacharia Luc. 1, 18. 34. II. Credendo glorificamus Deum, quia credens obsignat, quod Deus sit verax Johan. 3, 33, qui autem non credit Deo, maximà Deum (quantum in se est) afficit ignominia, quia fidem ei ut mendaci derogat, 1. Joh. 5, 10.

LXIX,

Verf. 21.) Ac plenè persuasum habens, eum, qui promiserat, posse & efficere, persuasionis plenus, verum esse credebat, quod non intelligebat, & rectà nullo dubitationum vento impeditus ad scopum suum ferebatur, sicut navis benè onusta & plenis velis ad portum tendens, ut ita aliqua ex parte emphasis verbi græci πληροφροειδῶς exprimatur.

πληροφροειδῶς.

LXX,

Ufus.

ελεγχῶ. Liqvet hinc, quàm vana sint illa, quæ declamitat circa hunc locum Bellarminus lib. 1. de Justific. cap. 6. ut ostendat, fidem non esse fiduciam, quum πληροφροειδῶς pertineat ad intellectum. Pertinet enim propriissimè ad ipsam cordis fiduciam, ut alibi docetur

à no-



(43.) 90
à nostris, & præcipuè D. Chemnitio: & N. V. C. pertinet
ad intellectum, ergo ad intellectum TANTUM. Sunt
enim Virtutes, quæ ad intellectum & voluntatem perti-
nent.

LXXI.

Verf. 22.) Quapropter non opera, non fides ex sua
præstantia, aut merito, sed per imputationem justitiæ
Christi fides Abrahamum justificavit, etiam hoc, tam
firmiter in Christum semen benedictum credere, *impu-
tatum est ei ad justitiam.* Vide supra v. 3. & 5. hoc ube-
riùs declaratum, ut non sit necesse his diutius nunc im-
morari.

LXXII.

PARS TERTIA.

Verf. 23.) Nunc tandem illam hypothesein Paulus *Abrahamus*
transfert ad thesin, ostendens propterea id omne de A- *justificatus*
brahamo in sacris literis annotatum non tam ipsius, *exemplar.*
v. 23. quàm nostrâ causa; ut nos, quâ fide esse præditos eos
deceat, qui velint promissam hæreditatem in coelis de-
mum consequi, & prius justificari, sciremus v. 24. Ne quis
enim diceret, illud privilegium, quod fide sit justificatus,
in Abrahamo potuit esse personale? Respondet Paulus,
communem totius Ecclesiæ doctrinam continet illa histo-
ria, & hoc quidem omne factum est in Abrahamo, quod
dixi, tum ipsius, tum nostrâ causâ: illud, ut ipse esset justi-
ficatus, hoc, ut esset credentium justificatorum pater, sed
non tam ipsius, quàm nostrâ causâ est in literas relatum.
*Non scriptum est autem propter eum solùm, ut ejus me-
moriam sit sempiterna, & dignis laudibus ejus fides extol-
latur, quod hoc imputatum fuerit ei.* Ipse enim

(44.)
tum ubi vixit, fide sua est justificatus, ubi vivere desiit,
beatificatus & salvatus, & proinde jam reportavit sibi
promissum præmium.

LXXIII.

Ufus.

- I. Scripturæ sacræ hæc est præcipua utilitas, ut nobis declaretur & probetur articulorum fidei veritas.
- II. Exempla V. T. debent esse nobis in N. T. loco incitamenti, monumenti, firmamenti. Vide Luc. 17. 1. Cor. 10. Hebr. 11. Jacob. 2.

LXXIV.

Verf. 24.) *Sed etiam scriptum est, & potissimum Rom. 15, 4. propter nos, quibus futurum est, ut, si institerimus vestigiis fidei Abrahamæ, supra v. 12. etiam imputetur eadem justitia, iis nimirum, qui credunt etiam in Deum vivificantem mortuus, supra v. 17. & nunc Pauli tempore ac porro, in eum qui suscitavit Jesum Dominum nostrum à mortuis, atq; ita capite hoc excitato demonstravit, se omnia ejus vera ac viva membra posse & velle resuscitare ad vitam æternam 1. Cor. 15. Hac enim excitatione Christi ex mortuis omnipotentia Dei est abundè declarata, ejusq; benevolentia & clementia in genus humanum probata inde, quod Christus secundum humanam naturam in tempore sit factus Dominus noster.*

LXXV.

Ufus.

- I. Fiducia Christianorum est resurrectio mortuorum, in primis quod Christus caput ipsorum sit factus pri-

primitiæ resurgentium ad vitam æternam, 1. Cor. 15.
 II. Si Christus est noster, qui in eum credimus, Dominus,
 nos in morte æterna non manebimus; quia vult, ut si-
 mus tandem, ubi ipse est Joh. 17.

LXXVI.

Verf. 25.) Verum ne quis in fide vacillet, ubi au-
 dit, eum, per quem fit justificandus & salvandus, fuisse
 mortuum, adjicit Apostolus, non temere eum esse mortu-
 um, aut excitatum, & ita utrumq; carnis Christi sta-
 rum complectitur. Proinde credimus in Christum,
 traditum quidem in mortem propter offensas nostras
 expiandas, ubi propter notat causam *ωγεναι τῶν ἡμῶν*,
 sed etiam suscitatum ad nostri justificationem testifican-
 dam, ubi per eandem particulam *ἀλλ'* indicatur causa fi-
 nalis, ut sanè sit nullius momenti illa Bellarmini lib. 1. de
 Justific. c. II. p. 44. censura, Non est credibile intra duas
 lineas scripturam accepisse verbum credendi nunc pro
 fiducia, nunc pro fide: aliorumque item observatio, e-
 andem vocem diversimodè eodem in versu non accipi.
 Vide enim Psal. 51, 2. Matth. 8, 22, Joh. 1, 10. & 4, 13. 14. 35. Rom.
 8, 3. 2. Cor. 5, 21. Apoc. 3, 20. sed redimus ad nostra. Pro-
 pterea enim oportuit Christum excitari ex mortuis, ut vi-
 tam in Adamo primo amissam mundo referret, quod fa-
 cere non potuisset, si in morte mansisset; tum enim ne-
 mo potuisset credere, Christum plenariè pro suis peccatis
 satisfacisse, quando mortem peccati stipendium non vi-
 cisset. Confer 1. Cor. 15, 17.

LXXVII.

Ad hunc autem versum prolixè suum errorem, quasi
 soli morti Christi tribuatur expiatio peccatorum nostro-
 rum, non autem vitæ Christi aut resurrectioni, Piscator

*Eadem vox
 diversimodè
 in eodè ver-
 su accepta.*

*Piscatoris
 error.*

vult defendere. Verùm à Pareo ita paucis refutatur. Cur
Apostolus effecta mortis & resurrectionis dividat, anxie
disputandum non est. Tota nostra redemptio aliàs mor-
ti, Rom. 3, 24. & 5, 10. aliàs resurrectioni Rom. 10, 9. ascribi-
tur. Non igitur Apostolus dividit, sed discernit juxta
proximos utriusque fines. Mortis enim proprius finis
erat peccatorum expiatio. Sic ferè ante eum etiam
D. Hunnius, cujus Commentarius in h. l. inspiciatur.

LXXIX.

Ufus.

I. Bellarminus frustra hinc probare conatur lib. 2.
de Justific. c. 6. justificationem nostram non constare (for-
maliter) in sola remissione peccatorum, sed etiam inter-
na renovatione, quasi h. l. Christi mors sit exemplar mor-
tis peccatorum. Non enim id h. l. docet Apostolus, sed
quomodo hoc sequatur ex resurrectione Christi, quod et-
iam homo baptizatus & justificatus novitati vitæ studere
debeat, declarat infra cap. 6. Hic autem dum agit de
Justificatione, causam finalem resurrectionis Christi in-
dicat, non nostræ justificationis causam formalem hoc
versu ponit, de quâ tamen est inter Bellarminum & nos
quæstio. Vide autem de eâ suprâ v. 7. II. Photinianos
refutat hic versus, qui negant, Christum propter peccata
nostra expianda passum esse, de quo eorum errore alibi
prolixius. Nunc concludamus, rogantes cum discipulis
Luc. 17, 5. ut Christus nobis fidem adaugeat, det nobis
spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius,
illuminatis oculis mentis nostræ, ad sciendum, quæ sit spes
vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ ipsius in sanctis, &
quæ sit supereminens illa magnitudo potentiæ ipsius in
nobis,

nobis, qui credimus, pro efficacitate roboris virium ipsius, quod exseruit in Christo, quum suscitavit eum ex mortuis, Eph. 1, 17. 18. 19. 20. cui sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.

COROLLARIA.

I.

Justitia Legis & justitia Evangelii est eadem & diversa.

II.

In scriptura utrumque dicitur, Homo non justificat se, & homo justificat se.

III.

Diligit homines Deus, voce hac accepta ἠγάπησεν, Deut. 33, 3. & usurpatâ hac ἠγάπησεν de patre, Johan. 3, 16. de filio, Gal. 2, 20. 21. de Spiritu S. Rom. 5, 5.

*Seneca linc II de Benef.
Quam rem nri amicitia
in manu dicitur a qua nri
in deo caritas amicitia
asserunt.*

IV.

Versu II, hujus capituli 4. epist. ad Rom.



Rom. 2^a idem esse quod ^{ci}, patet ex
vers. 9. & 10. Confer 1. Corinth 3, 15.
2. Cor. 6, 7. 8. Gal. 4, 13. Actor. 14, 22.
1. Timoth. 2, 15.

V.

Deum fuisse generi humano ira-
tum, & Christum pro nobis legem
implevisse, utrumque contra Pho-
tinianos, & hoc etiam contra Pi-
scatorem probabimus ex scri-
ptura.



FF 111



ULB Halle 3
003 266 753




A white rectangular library label with a barcode and the text 'ULB Halle 3' and '003 266 753'.


A

VD 77

Retro







21. 21.

D. T. O. M. A.
 Explicatio
 CAPITIS QUARTI
 EPISTOLÆ AD ROMANOS,
 in quo agitur
 DE
JUSTIFICATIONE
HOMINIS CORAM
DEO,
Quam
 Anniversariæ Disputationis Loco
 ROSTOCHII
 Anno M. DC. XXVIII. d. 21. Junii horis matutinis,
 In Auditorio Magno
 solenni examini obtulit
JOHANNES TARNOVIVS,
 & jam
 luci publicæ, ob exemplarium defectum,
 argumentiqve præstantiam,
 Studiosæ juventutis bono,
 reddidit
M. GEORGIUS HENR. GOETZIUS,
 Lips. SS. Theol. Baccal. & Burgenfium
 ad B. Virg. designatus Pastor Primarius.
 WITTEBERGÆ,
 Apud CHRISTIANUM SCHRÖDTERUM, Acad. Typ.
 Anno Ch. clc Ioc XG.

u.

all 20

Dr. M. Schäfero

